



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Petro Sanctæ Mariæ in Aquiro Diacono Cardinali apostolicæ sedis Legato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

prout in vestris privilegiis dicitur contineri, vobis & per vos monasteriis vestris auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostrae protectionis & confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani xvi. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*PRÆPOSITO ET CAPITULO  
sanctæ Mariæ in Vinis, Ianuensibus.*

*Epist. 169.  
Eis conservat  
jura parochia-  
lia.  
Vide supr. à epist.  
86.*

**O**lim ad instantiam S. de Camilla civis Ianuensis afferentis quod ad Ecclesiam vestram, cujus parochianus existit, sine periculo vitæ accedere non valebat, venerabili fratri nostro Ianuensi Archiepiscopo dedimus in mandatis ut si dictus civis tantum annui redditus juxta bonorum virorum æstimationem assignare vellet Ecclesiæ memoratæ quantum à domo sua Ecclesia ipsa percipere consueverat annuatim, daret eidem licentiam oratorium in fundo proprio construendi sine juris præjudicio alieni. Cùm igitur inter eundem S. ac vos proponentes quod hujusmodi litteræ per veri suppressionem & expressionem mendacij fuerant impetratæ coram dicto Archiepiscopo fuisset diutius disputatum, ac idem rei seriem per suas nobis litteras intimasset, nos iis quæ Vv. concanonici vester & Vv. Presbyter procuratores partium in nostra proposuere presentia plenius intellectis, præfatam Ecclesiam vestram ab ipsius civis impetitione super hoc duximus absolvendam. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani xv. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*PETRO SANCTÆ MARIÆ  
in Aquiro Diacono Cardinali apostolicæ  
sedis Legato.*

*Epist. 170.  
De vicecomi-  
tatu Nemaus-  
ensi.*

**C**um dilectus filius nobilis vir Simon Comes Montisfortis vicecomitatum Nemausensem, qui nomine nostro tenetur, ad vicecomitatum Biterrensem asserat pertinere, discretionis vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquiras super hoc plenius veritatem, & quod inveneris, cures nobis fideliter intimare. Datum Laterani xiiii. Kalend. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*E I D E M.*

*Epist. 171.  
De absolutione  
quorundam no-  
bilium.  
Vide hist. Albic.  
cap. 77.*

**E**t si nobilium virorum Comitis Convenarium & Gastonis excessus graves sint plurimum & enormes, quia tamen humiliter pulsantibus non est Ecclesiæ aditus

præcludendus, discretionis tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus sufficienti ab eis, juxta quod videris expedire, cautione recepta, ipsos reconcilies ecclesiasticæ unitati, & disponas de illis secundum Deum prout de prudentum virorum consilio videris disponendum. Datum Laterani xi. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*In eundem modum scriptum est nobili viro  
Simoni Comiti Montisfortis ut supra\* uno folio.  
Equo rufo &c. usque orthodoxa, & natum  
inclytæ recordationis Petri Regis Arago-  
num, quem tu detines, restitui faciat reg-  
no suo, ut de ipsius custodia provideat &  
disponat. Quocirca nobilitatem tuam ro-  
gando monemus & exhortamur attentius  
per apostolica scripta mandantes quatenus  
Legatum ipsum sicut personam nostram,  
immo nos in ipso, honorificè ac benignè  
recipias & pertractes, & ejus monitis ac  
præceptis intendas humiliter & devotè.  
Et quoniam amodò indecens esset ut quan-  
cunque occasione natum retineres Regis  
prædicti, eundem in manibus Legati me-  
morati resignes, ut de ipso provideat sicut  
viderit expedire. Alioquin super hoc idem  
Legatus procedet prout in mandatis à no-  
bis viva voce recepit. Datum Laterani x.  
Kal. Februarij, pontificatus nostri anno  
sextodecimo.*

*PETRO SANCTÆ MARIÆ  
in Aquiro Diacono Cardinali apostolicæ  
sedis Legato.*

**E**t si Tolosanorum excessus gravis sit & enormis, quia tamen sæpe & nuper per dilectos filios P. Guitardum & B. Gilberti nuntios suos pulsarunt ad januam, & humiliter pulsantibus non est Ecclesiæ aditus præcludendus, discretionis tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus sufficienti ab eis, juxta quod videris expedire, cautione recepta, ipsos reconcilies ecclesiasticæ unitati, & sic civitas ipsa reconciliata sub apostolicæ sedis protectione consistat, non molestanda de cetero à Comite Montisfortis vel aliis fide catholicis, dum in fide catholica & ecclesiastica pace duxerint persistendum. Quod si fortè satisfacere noluerint, & in errore suo duxerint persistendum, nos per indulgentias innovatas cruce signatos & fideles alios præcipimus excitari ut ad extirpandam pestem hujusmodi divino freti auxilio insurgentes, tam contra ipsos quam quoslibet alios receptatores aut defensores eorum, qui plus ipsis hæreticis sunt nocivi, proce-

*Ve libertati re-  
stituat filium  
Regis Aragon.  
\* ad epist., supra  
epist. 167.*

*Epist. 171.  
De absolutione  
Tolosanorum.  
Vide Guillelm.  
de Podio Lant.  
cap. 24.*